



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Maximini ... Abbatia extra urbis Trevericæ nigram vel Martiam portam,

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

62. *Nicolaus de Leberstein* præfuit anno 1474.
 63. *Casparus de Dalem*.
 64. *Damianus de Lommersweiler* eligitur anno 1489. Præfuit annis 28.
 65. *Gerhardus de Hasselt* constituitur Abbas anno 1517. Præfuit 3. tantum annis.
 66. *Jodocus de Colonia* designatur Abbas anno 1520. Præfuit per sexennium.
 67. *Thilmannus de Embrica* vel Emeraco præficitur Abbatia anno 1526. Præfuit quinq; annis.
 68. *Balthasar de Trajecto* inferiori fit Abbas anno 1531. Præfuit 4. annis.
 69. *Gerhardus de Gonda* Abbas eligitur anno 1535. Præfuit annis quinq;.
 70. *Rupertus de Wick* eligitur & confirmatur anno 1540. Præfidet hoc adhuc currente Jubileo, vir humanitate & hospitalitate nemini secundus.



S MAXIMINI potentissima vetustissimaq; Benedictinæ professionis monachorum Abbatia extra urbis Trevericæ nigram vel Martiam portam, in ipso campo Martio è regione cœnobii Mariæ ad Martyres, prope Divi Paulini antiquitus antiquitus cœnobium, nunc vero Canoniorum secularium collegium sita, ex regio Divæ Helenæ palatio templum ac Dei domicilium factum, inchoatur & pro pauperibus Deo servituris fundatur, secundum ipsum etiam D. *Hieronimum* & *Orosium* anno Domini 333. imperii videlicet Constantini Magni a. 23. ab ipso Christianissimo ac optimo Imperatore Constantino Magno ad petitionem matris suæ Domine Helenæ, ejus, quæ sanctam crucem Dominicam invenisse legitur, eo ipso nimirum tempore, quo Agritium, Patriarcham Antiochenum, Treverin accersitum ejusdem urbis Episcopatu præfecisset. Et hanc istius cœnobii originem veram ac certam esse, Dagoberti Galliarum Regis subsequens diploma, Memiliano decimo tertio ejus loci Abbati anno 643. datum, abunde & luculenter testabitur.

Agritium, Patriarcha Antiochenus, fit Archiepiscopus Trevirorum.

In

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Omnium Christianorum noverit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus, cum convenienti consilio Episcoporum meorum Comitumq; , legatos de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi, mandans ei, ut diligenter inquireret indeq; per seipsum indicaret, quibus authoribus illud monasterium S. Maximini constructum, vel cujus Imperio à pristinis temporibus esset subiectum. Hanc legationem Abbas cum fratribus sollicitè percipiens, perlectisq; in eodem loco quibusdam vetustissimis chartulis inventum est, id ipsum monasterium Constantini Imperatoris fuisse regale templum, atque jussu ejus dedicatum in honore S. Joannis Evangelistæ à S. Agritio, venerabili Archiepiscopo, in quo videlicet templo (ut idem pater monasterii nostræ Regalitati patefecit certa relatione) Helena sacra Dei famula petente & favente, supra dictus Imperator pauperes Christi congregavit, eisq; virum Dei Joannem præposuit, ut in servitio Dei semper vacarent & pro se orationibus insisterent: & insuper illius loci habitationem aliæ personæ nolint subdere, nec suæ successorumq; Imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis, regio more constituo atq; firmissima jussione præcipio, ut nullus unquam proterve illud monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur ut assidua recordatio mei meorumq; præsentium maneret in prædicto monasterio, ipsorum S. Maximini præbendariorum victualia, sub præmemorato Imperatore constituta, meis ex parte prædiis augere curavi, quorum nomina hæc sunt: Kannis, Crastiacum, Luntwich, Regiodola, Vallis, Polich, Budeliacum, Talevanc, Loania. Hæc loca ad regiam curtem, quæ dicitur decima, pertinent: quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quicquid prædii visus sum habere à fluvio, qui nuncupatur Rubera, usq; ad silvam, quæ dicitur Ider, S. Maximino præfili in perpetuam hereditatem contradidi. Insuper etiam cum consilio & rogatu meorum Principum, catervis ibi Deo deservituris hanc legem firmiter & perpetualiter in posterum habendam decrevi, scilicet ut centenorum ibidem monachorum semper integra maneat

*Donatio
Dagoberti
Regis.*

maneat & inconvulsa congregatio, excepto, si Imperatorum Principumve per secula succedentium benevolentia prædiis augmentetur vel thesauris. Et, si propter paganorum vel infidelium Christianorum devastationem eisdem Christi servitoribus penuria ultra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiverit, Dei omnipotentis & mei meorumque successorum habeant licentiam, allodium cum familia à fidelibus nullo contradicente dandi & vendendi, antequam Dei destruantur servitia. Et ut istius chartulæ confirmatio firma in ævum permaneat, describi eam præcepi & nostro sigillo eam inde firmavi. Actum pridie Nonarum Aprilis, anno regni nostri duodecimo, Moguntiaë feliciter, Amen. Signum Dagoberti Regis.

Privilegia monasterii S. Maximini.

Monasterium hoc ordinis primum & regulæ orientalium monachorum, ab Imperatore Constantino sub perpetuo durationem Imperatoriam susceptum est, ita ut hodie adhuc ab omni Archiepiscopali & Episcopali jugo exemptum, in temporalibus soli Imperatori Romano, in spiritualibus soli summo Pontifici immediate subfit. Abbas vero hujus loci ita privilegiis & dignitatibus, ac singularibus prærogativis insignitus ac donatus est, ut Decanus plerumque septem præcipuarum Ecclesiarum Treverensium & Imperatricis Augustæ archifacellanus esse debeat. Devastatum est aliquoties à barbaris post tempora Dagoberti in Germaniam & Gallias excursions facientibus: sed ex imis fundamentis renovatum ac de integro præclare restitutum legitur & denuo consecratum, Benedictinæque professionis monachis habitandum datum ab Hildulfo, beato Archiepiscopo Trevirorum, annum Christi circiter 764. quo Trevirorum Archiepiscopi, Agricius, Maximinus, Nicetius ac Bafinus de prioribus tumultibus levati & unà cum trecentis Thebææ legionis martyribus honorificentius in recens instauratæ S. Maximini Basilicæ minore crypta, quæ est sub summo altari, humati sunt. Sub Arnulfo etiam Imperatore à Normandis vastatum ac solatenus deletum, mox ab Ogone Abbate præclare reedificatum est, ut infra amplius sequetur in ejusdem amplissimæ Abbatiæ gubernatorum catalogo, qui talis Treveri à me collectus est:

Catalog. Abbatum

1. Joann-

1. *Joannes Antiochenus*, Agricii Patriarchæ discipulus & itinerum comes, ab ipsa S. Helena Imperatrice collectorum discipulorum rector & Abbas primus designatus, cœpit præsidere anno 333.

2. *Fibicius* secundus Abbas verè fuit, de quo nihil tamen amplius in fastos relatum est.

3. *Odilardus* tertius Abbas, sub quo latuit per integrum fere octennium in S. Maximini inferiore crypta ad puteum (quem hæc adhuc ætas Athanasianum vocat) Alexandrinæ urbis Episcopus, S. *Athanasius*, à Constantio Imperatore Arianæ hæreses defensore acerrimo proscriptus, qui eodem loco dicitur Sym-bolum suum contra Arianismi affectas composuisse.

S. Athanasius latet Treveri.

4. *Tranquillus*. Sub hoc Abbate humatus est in hoc cœnobio S. Maximinus, Episcopus Trevirorum, à quo mox cœnobi-um cognominatum est, quod prius S. Joannis titulo notum erat.

5. *Emerentianus*.

6. *Mauvelianus*.

7. *Honestus*.

8. *Remigius*.

9. *Fibicius* secundus. Constituitur postea ex Abbate Trevirorum Archiepiscopus anno 498. sub Anastasio II. Pontifice Maximo.

10. *Volmarus*.

11. *Rodingus*.

12. *Hundilandus*.

13. *Memilianus* tempore Dagoberti Regis præfuit, à quo ille privilegium supra positum consequutus est anno 643.

14. *Bernhardus*.

15. *Herinnus*.

16. *Basinus*, Dux Lotharingæ. Huic Abbati, morum & vitæ sanctimonia singulari coruscanti, dedit Pont. Max. Gregorius II. potestatem, ut & ipse & successores ejus Abbates ad sacrum processuri uterentur omnibus pontificalibus ornamentis. Is postea Trevirorum Archiepiscopus circa annum Domini 715. factus, sepelitur apud S. Maximinum, unde ad Episcopatum assumptus erat.

Mmm

17. *Odi-*

17. *Odilardus* præfuit tempore Pipini regis.
 18. *Weomadus*, primum Abbas S. Maximini, postea Trevi-
 rum Archiepiscopus anno Domini 753. De quo plura leges in
 magno opere nostro de omnibus Germaniæ Episcopatibus.
 19. *Heberardus* præfuit anno Christi 809.
 20. *Wernolphus* anno 4. Caroli Magni.
 21. *Helizachar* tempore Ludovici I.
 22. *Williberius* anno Christi 880. sub Carolo Crasso Rom.
 Imperatore.
 23. *Hattaboldus*.
 24. *Waldo* anno Christi 896.
 25. *Erckenbertus* præfuit sub Imperatore Arnolfo Bavaro.
 26. *Ogo*, vir prudentissimus ac perspicacissimi ingenii, ma-
 ximeq; industrius, ab aliis Hugo dictus, ex præposito eligitur in
 Abbatem. Præfuit utiliter 12. annis, quibus post Nordmandi-
 cam devastationem totum cœnobium renovavit & à Rotberto
 Archiepiscopo Trevirorum dedicari fecit anno 942. Postea Leo-
 diensis Episcopus factus esse legitur anno Christi 945. Extat ejus
 tale epitaphion:

*Obsecro te, frater, titulum qui conspicias istum,
 Quo memor esse mei corde velis humili.
 Ogo vocatus eram, dum carnis mole premebar,
 Cœnobio huic dictus à puero monachus.
 Nunc cinis & pulvis, misere contagia vitæ
 Valde perhorrescens, dic precor ex animo:
 Facturæ, Deus alme, tuæ clemens miserere,
 Ogoni requiem dans pie perpetuam.*

27. *Willerus* successit abeunti ad Leodiensem Ecclesiam O-
 goni anno 946. Obiit anno Domini 958. Sepelitur cum talibus
 virtutum suarum elogiis.

*Hac est Willerus fossa pius Abba sepultus,
 Quem bonus à puero nutrivit episcopus Ogo,
 Et successorem sibi dignificavit herilem:
 Qui bona quæq; studens, fuit omni dogmate prudens,
 Et sibi subjectis præbens documenta salutis*

*Fit miserando pater, sed discendo minister,
Nonis Octobris persolvit debita mortis.*

Aliud ejusdem Epitaphion:

Quisquis ad hunc tumulum succedes forte videndum,

Conditione mea (quæ tua sit) memora:

Floridus & juvenis letabar in indole carnis,

Sed, caro dum vivit, mors inopina subit.

En, cinis immundus jaceo modo, verme vorandus,

Consumtus tabo, heu malefacta gemo.

Unde precor Christum, supplex depono benignum,

Ut mihi Willero det veniam misero.

28. *Wickherus* obiit anno salutis 966. cum præfuisset 8. annis.

29. *Asoffus* obiit anno Christi 967.

30. *Thietfridus* Diaconus obiit anno 979. cum præfuisset 12. annis.

31. *Ogo*, Diaconus primum, postea Abbas, obiit anno 987.

32. *Folmarus*, alibi Volcardus, fontis vel vasis lavatorii insignis & ex ære facti conditor, præfuit anno 993.

33. *Osvadus* præfuit anno Christi 1000.

34. *Winrichus* præfuit anno Domini 1018.

35. *Harichus*, alibi Henricus, præfuit tempore Henrici II. cujus Imperii anno 18. Hierosolymam petens, in itinere apud Myraam obiit, ubi ad pedes S. Nicolai Patarentis Episcopi honorifice depositus & terræ parenti redditus est anno 1023.

36. *S. Poppo*, & hujus cœnobii & alterius, Stabulensis videlicet monasterii Abbas, successit Henrico. Peregrinatus est Hierosolymam cum Archiepiscopo Poppone anno Christi 1026. Obiit anno Domini 1048. ætatis suæ 60. cum laudabiliter præfuisset annis 25. Legitur fuisse conditor insignis coronæ, pendentis supra Dominam Adam, Caroli Magni sororem, in medio choro Ecclesiæ S. Maximini sub niveo marmore cum tali inscriptione humatam:

Ada ancilla Christi soror Caroli Magni.

Mmm 2

Hæc

et
lus.

*Evange-
lia Evan-
gelista-
rum auro
scripta.*

Hæc dono dedit monasterio librum quatuor Evangelistarum purissimo auro scriptum in macrocolo, cui hi versus inscripti & à me superiore anno exscripti sunt:

*Hic liber est vitæ, Paradisi quatuor amnes,
Clara salutiferi pandens miracula Christi,
Quæ pius ob nostram voluit fecisse salutem.
Quem de vota Deo jussit perscribere mater
Ada, ancilla Dei, pulchrisq; ornare metallis:
Pro qua (quisq; legas versus) orare memento.*

37. Joannes secundus præfuit sub Poppone Archiepiscopo, cujus tale legitur epitaphion:

*Fundite corda preces, putret hic pius Abba Joannes,
Heu gra vis illa dies te, pater, hinc rapiens.
Ecclesia paucis huic postquam præfuit annis,
Vox in judicium, subito subit tumultum.*

*Idibus in quinis, dum seruet Julius arvis,
Translatus medio redditur in tumulo.*

*Hunc pie *μαυλονγατος*, vitæ, non mortis amator,
Postcentum votis cœtibus adde tuis.*

38. Bernhardus, & hic sub Poppone, Archiepiscopo Treverorum, Austriæ Duce præfuit.

39. Theodoricus præfuit anno 1066.

40. Henricus primus.

41. Henricus secundus.

42. Focelinus præfuit anno 1101.

43. Beriengofus præfuit circa annum Christi 1112. & 1125.

44. Gerardus circa annum Christi 1131. & 1137.

45. Sigerus anno Christianorum 1140. & 1164.

46. Arnoldus anno 1169.

47. Conradus anno Christi 1184. & 1191.

48. Anselmus tempore Joannis, Episcopi Treverensis, anno 1210.

49. Bartholomæus anno 1227. & 1229.

50. Hen-

50. *Henricus Bruchius*, fundator & conditor Xenodochii five Hospitalis, quod monasterio vicinum est, præfuit anno Christi 1237. quo incendio absumtum est cœnobium, sed reparavit præclare id ipsum *Henricus* totum, fecitq; consecrari templum anno Domini 1245. à *Conrado*, Archiepiscopo Coloniensi, præsentibus etiam *Arnoldo Treverico* & *Sifrido Moguntino*. Obiit anno 1257. Sepelitur cum tali monumento:

*Abba, vir insignis, velut aurum, quod probat ignis,
E meritis meritis, clarus titulis, homo mitis,
Henricus lecto putret hoc in pulvere secro,
Quem Deus e vexit hinc, dum Februarius exit.
Flebile præsentis præsens epigramma legentes
Implorent Christum, superis coadunet ut istum.
Exanimis artus patris Angelus excipit ortus,
Anno milleno Domini decies duodeno,
Bis quinquageno, septeno, ter quoq; deno.*

51. *Henricus de Casstro Dune* successit *Bruchio*: sed quamdiu is præfuerit, scriptum non reperitur. Tumulo ejus hoc adhuc inscriptum legitur epitaphium:

*Hic pater Henricus, vita melioris amicus,
Pausat: quam meruit, hanc ubi deseruit.
Idus dum menssem cogunt transire Decembrem,
Ambi vit requiem, quam Deus huic det. Amen.*

Richardo vero cuidam, Nobili viro à *Duna*, ultimo hujus gentis, in summa Basilica Treverensi sepulto, tale adscriptum legitur epitaphion:

*Annis quingentis bis, Et octo bis, atq; trecentis
Præteritis Domini, terna quoq; luce RemigI,
Richardus, Dominus Dunæ non laude supinus,
Vitam fini vit, quem præsens tumba poli vit.*

52. *Godefridus* Abbas, *Henrico* subrogatus, obiit anno 1303.

53. *Theodoricus*, liber Baro de *Brunshorn*, resignavit & postea obiit anno 1358. die depositionis *S. Maximini*.

Mmm 3

54. *Otho*

54. *Otho* coepit præfidere S. Maximini monasticis laribus anno 1352. Præfuit annis 15.

55. *Roricus de Eppelborn* coepit anno 1367. Præfuit annis 44. Obiit anno 1411. 23. Maji. Rorico defuncto succedere per discordem nimirum ac dissentientem electionem Abbates tres, de quibus scriptum invenitur: *præsuere, sed non profuere*. Primus Dominus....

56. *Henricus Sajen*, secundus.

57. *Henricus Muel* de novo Castro, tertius.

58. *Lambertus* de Sassenhusen, qui reliquis exauthoratis obtinuit, & obiit anno Domini 1443.

59. *Joannes Forst* præfuit annis novem & obiit anno 1452.

60. *Antonius de Tribulis*, vir nobilis (de quo vide Ethensheim monasterienses Abbates) substantiæ monasterii præclarus reparator, obiit anno 1482. cui tale epitaphion gratitudinis ergo positum est:

Anno 1482. ultima Julii obiit *Antonius Abbas*, qui 30. annis huius loco religiose præfuit, ejusq. plura impignorata redemit.

61. *Theodoricus* obiit anno 1483. cum sedisset ad Abbatiæ clavum per unum saltem annum.

62. *Otho* præfuit annis 19, & valedixit huic mortali vitæ anno 1502.

63. *Thomas de Huisden*, Brabantinus, egregius reparator substantiæ, obiit anno Domini 1514. die Martis post visitationem Marianam, cum sedisset annis 12.

64. *Vincentius de Kochem* successit Thomæ. Præfuit annis 10. Hujus ætate, in bello Sickhingenensi misere exustum & vastatum est coenobium. Ejus prope S. Athanasii cryptam in ipso descensu sepulti, tale legitur epitaphion, authore *Bartholomæo Latomo*.

Conditur hic Abbas Vincentius, in vinda postquam

Cessarunt summo ledere fata die.

Incensam hanc Divum sedem clarosq. penates

Vidit & hostili tecta furore rapi.

Cite-

Cetera sat felix: nisi reddere lapsa parantem

Pressisset dura parca citata manu.

Nunc meliora tenet cœlesti sede potitus,

Et, quem speramus, contigit ante locum.

65. *Joannes de Cellis* successit Abbati Vincentio anno Domini 1525. Is cum tale epitaphio terræ parenti redditus est:

D. Joanni à Cellis, Abbati, reparatori hujus monasterii, qui per annos 23. monachorum gregi sibi commissio feliciter præfuit, atq; illius commodis, quieti & fortunis vigilantissime prospexit, Joannes ex Comitibus de Isenburg, Archiepiscopus Treverensis, & prius coadjutor, deinde Commendatarius & successor P. Vixit annis 74. Obiit anno 1548. 11. Julii.

66. *D. Joannes*, illustris Comes Isenburgius, Gerlaci ex Domina Anastasia Sarwerdensi Comitissa filius, Archiepiscopus Trevirorum urbis dignissimus, sacriq; Romani Imperii Princeps Elector, administrator S. Maximini assumtus est anno Christi 1548. Is sequente anno Domini 1549. locum tenentem designavit & constituit in cœnobio S. Maximini, Reverendum ac genere & virtute nobilissimum virum, *D. Joannem de Petra*, archidiaconum vel chorepiscopum (ut vocant) Treverensem majorem.



S MICHAELIS Archangeli Wengense cœnobium, ordinis D. & instituti regularium Canonicorum S. Augustini, quod nunc tertio loco intra ipsa civitatis Ulmenensis mœnia situm est, in monte urbi vicino & hodie adhuc S. Michaelis titulo accolis noto, primum cœcepit anno Christi 1183. indictione secunda, Imperante Friderico Barbarossa, Romanæ vero cathedræ presidente Pont. Max. Lucio III. ad Episcopatum autem Constantiensem & Abbatiam Augiensem sedente Diethelmo, fundatum & constructum à nobili ac generoso viro, Wittigovo, Comite de Albegke, & ejus conjuge Domina Bertha, in hoc ipso cœnobio quiescentibus & sub honorifico tumulo humatis: quod è sequentis transfumti ab Henrico Antistite Constantiensi dati honesto testimonio ita verissimum esse liquet, ex quo finis etiam & ratio constructæ talis domus pulchre videri ac deprehendi potest.

In